DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA.

AUCTORE JOANNE ECCLES.

E MORBORUM fere infinito acervo, quibus genus humanum natura est obnoxium, non ullus esse videtur, quem homines frequentius incurrunt, qui latius per omnes mortalium conditiones incedit, vel plus demit de vitae deliciis, quam iste morbus huic tentamini praefixus, et de quo nunc habendus est sermo. Hae considerationes me moverunt pauca de hac re disserere velle, pariterque alia causa

adhuc potentior, nempe, quod iis qui mala sunt experti,

> ....dulce est meminisse dolorum
> Actorum.

Ventriculi functiones, ut bene notum est, adeo ad vitam et sanitatem necessariae sunt, ut viribus ejus fractis et perditis, tota corporis compages quassetur, et vel in valetudinem longam, vel etiam lethum ipsum, certe ruitura est. Sine enim nutritione, omnia organa deterantur, omnes functiones exhauriantur, et tandem vis ipsa vitae deficiat, necesse est. Non tantum vero nutritionis defectu ventriculus potest morbos inferre; praeterea enim tam multis et mirandis consensibus cum omnibus prope aliis partibus fruitur, ut dolores suos cum iis semper communicet, et eorum vicissim dolorum nunquam non particeps fiat. Si doleat caput, ventriculus laborat; si contra ventriculus gemat, caput dolorem habet. Ubi mens nostra divina nimiis opprimitur curis, digestio multum languet et turbatur; nec digestione laesa menti desunt languor et anxietas.

Haud absimili modo cum omnibus aliis functionibus consentit ventriculus, adeo ut

....alterius
Altera poscit opem res, et conjurat amice.

Ubicunque prava est ciborum concoctio, multa mala oriuntur, et multi dolores, cum ventriculo, tum aliis partibus ingruunt: huic morbo, si idiopathicus sit, nomen est inter medicos Dyspepsia.

HISTORIA MORBI.

Hic morbus vel subito vel lentius aggredi potest, secundum causas, plus minus potentes, quae eum excitant: plerumque vero de adventu ejus admonet, et lento gradu progreditur. Semper fere corporis et ventriculi languore, cum cibi inappetentia, et post pastum modicum ponderis et molestiae sensu,

prodit se dyspepsia. Adsunt quoque ab omni exercitatione quaedam aversatio, et a motu levi fatigatio. Ad haec symptomata, utpote levia, haud bene attenditur, et morbo igitur adhuc longe graviori fieri conceditur. Prioribus signis modo accedit concoctio difficilis et parum accurata: ventriculus et intestina flatu distenduntur, et inde ructibus, spasmis, doloribus variis et angore summo afficiuntur. Aliquando post pastum in os cibus ejicitur, iterumque in ventriculum recipitur: nunc etiam cibus, si sit e vegetabilibus, acescit; si maxime e carnibus, in putredinem tendit, et ructus fiunt acidi vel putridi: simul quoque comitantur nausea et vomitus, dolor seu potius angor gravissimus, spiritus difficilis et creber, cibi appetentia modo praeter naturam aucta, modo admodum demissa: non raro in hoc statu morbi diarrhoea, quasi naturae viribus excitatur, quo materies depravata eliminetur: sed ut prae omnibus fere gravissimus accedit ille ardoris sensus, qui circa cardiam et per oesophagum

fere sentitur, summum angorem et dolorem ciens, et leipothymiam modo minitans.

Vomitus ille, huic morbi conditioni contingens, aliquando in tantos excessus abit, ut omnia quae in ventriculum recipiuntur, iterum rejiciantur.

Alium etiam est malum, haud raro contingere solitum, nempe Gastrodynia, quae dolorem spasmodicum et cruciatus modo impatibiles ventriculo infert, vomitu saepissime sequente. Hic dolor minus est acutus quam cardialgia, magisque per ventriculum diffusus. Per totum fere morbum alvus est adstricta, et faeces, quae parcissime dejiciuntur, albidi sunt coloris, vel striis flavis hic illic tantum intertinctae; odorem vix emittunt, vel certe haud naturalem, et argillam consistentia referunt. Circuitus sanguinis admodum est languidus, et ictus arteriarum modo lenti, saepius vero crebri, nunquam non debiles, et haud raro intermittentes.

Urina observatur nunc crassior quam natura, nunc limpida ut in hysteria. Spiritus ple-

rumque creber et cum labore trahitur, et respiratio magis costis quam diaphragmate absolvi videtur. Adeo languida est circulatio, ut sanguis non ad vasa extrema viam aperire possit; perspiratio igitur per cutem occluditur, superficies corporis arescit, pallida evadit, vel etiam squalore tincta. Eadem ratione evenit frigoris sensatio, quam conqueruntur aegri.

Hucusque morbo progresso, vires musculares admodum infirmae, et prope exercitii impotentes evaserunt; ita ut si aliquantulum temporis ad ambulandum, vel quemvis levissimum laborem se compellant aegri, statim fatigati, requiem carpere cogantur: accedunt quoque palpitatio et vertigo tantae, ut gradus illico sistatur necesse est.

Per totum morbi progressum cephalalgia et vertigo plus minus comitantur, et plerumque intervallis haud longis aggrediuntur, dolore praesertim frontem et oculorum regionem occupante. Non mirandum est, tot tantisque malis incumbentibus, nocturnas vigilias reli-

quis miseriis accedere, nec somnum, ubi oculis irrepserit, terroribus et somniis horrendis saepe rumpi minimumque reficere. Ubi aeger expergiscitur, languore summo opprimitur, et haud raro vexatur nausea et levi vomitu, cum capitis dolore et vertigine. Hoc tempore, si inspiciatur lingua, albida vel fusca videbitur et muco obducta.

Animus nunquam non debilis fit, et haud capax vel ad negotia vel studia se attendendi. Memoria deficit, et exercitium aversatur. A miti et benevola, indoles fit maxime irritabilis; ab hilari et serena, demissa et fere despondens evadit.

Si longius procedat dyspepsia, vel in febrem hecticam, vel diathesin hydropicam, vel quosdam alios morbos qui nullam spem vitae prae se ferunt, terminandi haud caret periculo.

DIAGNOSIS.

Facillime cum hypochondriasi, chlorosi, hepatitide chronica et morbis organicis ventriculi ipsius confundi potest dyspepsia.

Ab hypochondriasi sic bene dignoscitur a celeberrimo et maxime venerando Culleno. In dyspepsia, tametsi animus demissus et fere desperans aliquando adfuerit, plerumque vel solum temperamento sanguineo infesta est; inter juniores prae omnibus occurrit, ante aetatem virilem, et quibus laxa et flaccida est fibra. Hypochondriasis, contra, in aetate provecta saepissime observatur, in temperamento melancholico, et inter senes quibus firma et rigida corporis compages. His accedat, quod in hypochondriasi acor et inflatio et ventriculi morsus frequentiores sint et vehementiores; animique dejectio et terror multo graviores.

A chlorosi discernitur dyspepsia eo tumore molli per corpus, qui priori semper adest, huic vero tantum ad extremum. In chlorosi cutis magis decolor, et fere subviridis est. Dyspepsiae anorexia semper fere contingit: chlorosi vero cibi appetentia praeter naturam augetur, desideriumque rerum non esculentarum premit. Chlorosis tandem haud raro habet pro comite et causa menstruorum retentionem.

Ab hepatitide chronica symptomatis hujus propriis dignoscenda est. Dolor enim obtusus in regione hypochondriaca, plus minus gravis et pressura auctus, pulsus celerior, color cutis subflavus, decubitus in latus sinistrum difficilis, et aliquando dolor ad humerum tendens, cum brachii torpore, hepatitidem bene denotant.

Inter dyspepsiam et schirrum pylori haec sunt diversa, quod hoc praesenti dolor est constantior et fixus, tumorque haud raro tactu sentiendus: in dyspepsia dolor est fugax, et cedit medicamentis quae nihil in morbis

organicis proficiunt. Schirrus quoque et carcinoma maciem graviorem inducunt. Vomitus dyspepsiae contingens minime post pastum perpetuus est, saepius nauseam quam dolorem excipiens: cum in schirro pylori iis temporibus nunquam non adoritur et a dolore nascitur. Quae evomuntur quoque haud saniem aut colorem nigrum, ut in carcinomate, prae se ferunt.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Multae earum causarum, quae inter praedisponentes auctoribus recensitae sunt, vix aut ne vix a causis quae morbum excitant distingui possunt. Sic vita sedentaria huic morbo valde obnoxios reddit: eadem vero longius culta morbum ipsum iisdem inferet. Satis igitur in praesens erit earum causarum quae certissime disponunt meminisse, quia pos-

tea ambiguiores illae largius tractentur oportebit. Temperamentum sanguineum et aetas tenera, ut prius dictum est, maxime obnoxia sunt: sed quod prae omnibus huic malo proclives facit, temperamentum est illud, cui inter medicos nuperos nomen datur nervosum.

Hujus notae insignissimae sunt, solidi nervosi debilitas et mobilitas, et ea animi conditio, " quae colligit ac ponit iram témere, et " mutatur in horas." Tale corporis temperamentum in constitutione sanguinea non aegre victu lauto et luxuriosa vitae indole, fovetur et producitur. Delicatula compages, et laxa solidorum conditio admodum dyspepsiae favent. Has ob causas inter divites et voluptatis cultores frequentissime observatu occurrit: hinc quoque foeminis quam viris, immaturae quam aetati confirmatae, magis inimica est.

CAUSAE EXCITANTES.

Causae dyspepsiam excitantes in tria genera colligi posse videntur. Primum genus complecti potest eas causas quae in ventriculum ipsum statim operantur. Secundum genus, causas quae per medium mentis ventriculum afficiunt. Tertium genus, causas quae in totum corpus vel partes ejus singulas agunt, et effectus suos ad ventriculum propagant.

I. Causae quae in ventriculum ipsum operantur sunt,

1. Quaedam sedantia, qualia sunt thea, coffea, nicotiana, opium ; spiritus ardentes, amara, aromatica, acida.
2. Aqua calida, et liquores aquosi calidi largius et frequentius quam decet poti.
3. Frequens et immodica ventriculi repletio.

4. Vomitio saepius repetita, seu sponte seu arte effecta.
5. Nimia alvi purgatio, quae tametsi non in ventriculum ipsum operatur, consensu tamen arctissimo eum afficit.
6. Alvus adstricta, seu e natura seu neglectu procedens.

Haud mirum est, omnia ea corpora vi sedanti praedita summam injuriam ventriculo, et morbos concoctionis pessimos illatum iri, scilicet, quae sensum et motum praesentes multum reprimunt, et corpus minus sentiens et mobile, si in usu perseveretur, in futurum reddunt. Constat quoque has res partes quibus applicantur maxime afficere, atque igitur in ventriculum receptae vires perniciosissimas non possunt non exercere, et functiones ejus debilitare. Aromatica vero et spiritus ardentes, quae nimirum potentissima sunt stimulantia, effectus sedantes tantum per stimulum eorum saepe repetitum gignere videntur. Bene enim comperta est, lex ea systematis nervosi, quae facit ut omne stimulans

collapsum ratione aequalem post se ducat, atque fibrae motrices in nimias et nimis frequentes contractiones conjectae, tonum suum amittant, et in debilitatem ruant.

Quomodo amara, quae jure roborantia habentur, vires nonnunquam omnino contrarias exerceant, non adeo facile est explicatu. De his tamen facti sumus certiores, ut si longum sumantur, corpus debile et fere exhaustum fiat. Hujus exemplum habemus in arthritidis medela: ubi enim medicamenta amara huic morbo mederi sunt visa, in omni tamen exemplo corpora infirmata sunt, dyspepsia et morbi qui dicuntur nervosi percrebuerunt, tandemque ascitidi vel hydrothoraci aegri succubuerunt. Forsan eidem legi supra memoratae hi effectus debentur. Cel. CULLENUS quandam vim sedantem iis inesse conjecit.

Acida quomodo debilitant, non bene notum est: in vasa sanguinea vim sedantem haud dubio exercent; et eodem modo forsan ventriculi functiones deprimunt.

Aqua calida et aquosi liquores calidi solida nimirum cum externa tum interna relaxant, atque ea ratione compagem eorum et elasticitatem solvunt, atque laxitatem perniciosam inducunt. Thea et coffea iis infusae faciunt ut plus polleant, utpote viribus narcoticis, tametsi haud validis fruentes.

Distentio quoque longa et valida non potest non tonum ventriculi dirimere, eadem fere ratione qua flexura diuturna arcus elaterem tollit. Ciborum frequenti et plena ingurgitatione, ventriculo non permittitur tonum suum revocare, et hinc quantitas cibi quam qualitas plus noxae inferre videtur.

Vomitio frequens contractione musculorum valida, et si medicamentis cieatur, viribus forsan sedantibus, tonum ventriculi minuit et irritabilem relinquit. Nimia alvi purgatio, intestinorum motus admodum debilitat et abnormes reddit, et per consensum partium et functionum eandem atoniam et mobilitatem cum ventriculo nunquam non communicat. Alvus adstricta, quae quibusdam

natura accidit, aliis neglectu et desidia acquiritur; et nil dubium est, quin omnes concoctionis functiones lentas et torpidas reddit, et sic ad dyspepsiam conducit. Causa dyspepsiae non infrequens esse videtur.

II. Causae quae per medium animi ventriculum afficiunt, sunt, 1. Omnes affectus deprimentes, quales timor, anxietas, moestitia. 2. Quidam affectus excitantes ultra modum indulsi, scilicet amor in excessum abiens: iracundia nimis vehemens, et saepius quam decet exercita. 3. Studium litterarum intensius et non satis intermissum: ad negotiumque attentio nimia et solicitosa. Haec series causarum, quae per animum effectus suos ad ventriculum propagant, fons est unde morbi innumeri et praesertim ventriculi scaturiunt. Inter corpus et animum nexus est certe arctissimus et consensus fere infiniti; qua ratione vero inter se mutuo agitur, tenebris piceis adopertum est. Inter medicos tamen bene compertum est tale vincu-

lum intercedere; et conditione alterius cognita, effectus ejus in alterum non raro divinari datur. Nuntius ingratus puncto fere temporis pessima dyspepsiae indicia excitavit; et animo moestitia afflicto concoctio semper turbatur. Hae causae verisimiliter, quodammodo, vigorem cerebri et nervorum diminuunt, vel motus perturbant, unde ventriculo et corpori generali atonia et irritabilitas.

III. Haec series causas comprehendit, quae in corpus generale vel partes singulas agunt, et affectiones suas cum ventriculo communicant: quales sunt, 1. Vita ignava et sedentaria. 2. Excessus voluptatum venerearum. 3. Aër frigidus et humidus, vel noxis onustus.

Vita sedentaria sine dubio omnium functionum vigorem imminuit, nullam vero plus quam cibi concoctionem deprimit: hoc certe debilitati generali, quam cum aliis partibus ventriculus participat, tribuendum est: partim vero, perspirationi minus liberae quam

par est, et nonnihil quoque faecium accumulationi, quae nimirum multorum malorum irritamentum est, debetur.

Venus immodica certe causa est maxime debilitans.—Nulla vero noxa est potentior quam frigus, praesertim cum humore conjunctum. Si frigori vehementi diu corpus opponatur, nil dubium est, quin citius serius universum torporem, et tandem mortem ipsam consciscet. Frigus etiam haud tantum, longius admotum, eadem ratione, quamvis gradu minore, sensibilitatem et vim motricem deprimit, et sic actionem ventriculi, simul cum functionibus aliis, imminuet. Accedat, quod perspirationem supprimit, quae nunquam non eodem tempore vires coctrices perturbat. Hoc certe explicatu difficile est, sed observationi quotidianae opportunum. Nil certius est, quam quod exercitatio, sudorem ciendo, statim fere anorexiam depellit. Per consensum haud dubie, sed minime indagandum, efficitur. An a sensu cujusdam jacturae in systemate procedit, qui vires corporis servatrices

eam suppeditare admonet; omnes enim evacuationes non ad debilitatem productae, plus minus appetitum movent? Annon potius tono vasis extremis restituto debetur, qui quodammodo ad ventriculum propagatur?

CAUSA PROXIMA.

Causis quae dyspepsiam excitant, et symptomatis quae comitantur, recensitis, non dubitari potest, quin atonia et irritabilitas, plerumque in totum causam ejus proximam constituunt; et si aliae sunt, quae hunc titulum sibi vendicant, talia ex his oriri, et nunquam fere praecedere, verisimile est. Has enim conditiones omnes causae antea dictae producere inclinant, atque ut revera existant omnibus symptomatis comprobatur. Unde quibusdam visum est, in duas species dyspepsiam distinguere; unam nempe atonicam, alteram nomine irritativam, prout haec vel il-

la conditio magis apud aegrum praevaluit. Quemadmodum vero succus gastricus adeo ad ciborum concoctionem valet, aliaque fluida secreta tantum auxilii conferunt, unius vel alterius copiam deficere, seu qualitates corrumpi, conjicere haud alienum est; nec bene compertum est, an semper hae mutationes symptomaticae, necne, sunt. Nonnunquam vero dyspepsia magis subito contigit, (nimirum a timore vel moestitia fere instantaneis,) quam fluida corporis corrumpi potuerunt. Quomodocunque haec se habeant, vix haerere nobis datur, succos gastricos aliosque ad digestionem conferentes vel deficere vel pravari, quoniam fluida linguae et oris, et mucum oesophagi, et secretiones in intestina factas, multum mutata et morbosa promptum est percipere. Praeterea, inter omnes convenit, ut, ubicunque aliquae superficies secernens irritabilitate laborat, secretio ejus semper vel minuatur, vel natura mutetur, vel aliquo modo deturbetur. Una certe secretio, scilicet biliaris, quae haud parum ad chylificationem confert,

saepissime vel semper fere copia minuitur: haec diminutio ab iisdem causis ac ventriculi morbus, saepe pendere videtur, eodemque tempore accedere; praesertim vero a statu corporis irritabili ortum suum deducit, qualis nimirum cum dyspepsiae praecedit et causae est. Dentitio pro exemplo et argumento habere potest, quantum irritatio quaevis bilem supprimere tendit; semper enim in dentitione deficit. Et non dubitandum est, hac secretione compressa, concoctionem in deteriora ruituram esse, quoniam in ictero saepissime haud parum deturbatur. Ad hoc igitur in dyspepsiae medela animum attendere debemus.



PROGNOSIS.

Ubi morbus non longum praevaluit, nec vires valde infirmatae sunt, et aetati juvenili contigit, spem optimam habere licet. Mens

quoque anxietate vacua, et hilaris, multum sanitatis recuperationi favet. Ubi corpus valde irritabile est, et symptomatibus nervosis premitur, productior erit, et haud ita bene medicamentis cedet. Si vomitus sit levis, et intervallis longis, vel tantum subinde accedat, timori vix locus erit. Vomitu vero ingravescente, et post pastum constante, et levibus causis excitata, haud parum timendum est; exempla vero non desunt, ubi vomitus bis terve quotidie per annos multos perstitit, valetudine non male se habente. Cardialgia et gastrodynia per totam vitam praevaluerunt, et medicamentis cedere prorsus noluerunt. Sed in genere, si bene ad regulas praescriptas attendatur, et patienter perseveretur, bonum augurari licet exitum.

O passi graviora: dabit Deus his quoque finem.

Dyspepsia vero diu producta, alios in morbos et magis lethales desinere potest; atrophia scilicet, hydrops, podagra, morbi nephritici, asthma, febris lenta, et alii innumeri, hujus sequelae esse possunt.

METHODUS MEDENDI.

Quatuor consilia medendi instituantur necesse est.

1. Causae remotae quam diligentissime sunt vitandae.
2. Summa diaetae ratio est habenda.
3. Symptomata omnia molesta levari debent.
4. Tonus et robur ventriculo restituantur oportet.

1. Quam caute et solicite omnes causae remotae a dyspepticis evitandae sunt, vix imperitissimum admonere opus est, cum scilicet in omnibus morbis, si causae non amoveantur, morbos necessario alent; et quo minus medicamenta valeant, impedient. Satis est igitur causas quam accuratissime recensuisse; eas vitare, et amovere, aegri ipsius est.

Pauca vero de animi moderamine, et eum ad serenitatem pristinam restituendi methodo,

neque extraneum erit, nec sine fructu hic obiter proferre. Non minus ad animum quam corpus nobis respiciendum est; ille enim est admodum morborum ferax. Ubi est timidus et demissus, spe meliore et fiducia amicis debet erigi, qui simul ac condolere videntur, aegros a seipsis et contemplationibus suis summa ope abstrahere nitantur. Solitudo cum societate, atque iterum societas cum solitudine, alternatim commutandae sunt. Aspectus humanae vitae pulcherrimi ante oculos proferendi sunt. Otium multum vitari debet, et mens ad negotia, modo gratiora, modo seriora, deduci. Eadem quoque de omnibus animi affectibus admonenda sunt, nimirum, ut leniter tractentur, et suasu potius quam vi superentur.

Litterarum cultores, qui nimis intense et sine intermissione studiis incumbunt, bene certiores fiant, ut labores nimii non possint non proposita sua frustrari; homo enim non tantum ad studium quam ad actionem natus est, et summum ejus perfectionis culmen est,

quod studiis excoluit actione illustrare, et ad utilitatem humani generis compellere. Praeterea, mens nostra non capax est laboris perpetui, sed studia sunt frequenti relaxatione interpellenda, quo facultates mentis robur et vigorem recuperent.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

2. Hoc secundum consilium ad victum in dyspepsia respicit, in quo, ratio quantitatis, qualitatis et temporum habenda est.

In statu ventriculi debili haud dubitandum est, ut moles cibi modica et viribus ventriculi adaptata esse debeat; uti enim alimentorum finis est et usus, ut in chylum nutrientem convertantur, summi est momenti ut modus non foret nimius, ne vel cruda indigestaque moles ejiciatur, vel in fermentationem procedat, et concoctionis processum penitus confundat. Lex igitur generalis est, viribus ventriculi consulere, quod singulis pro seipsis faciendum est; memoria vero teneatur, eam quantitatem quae minimum lae-

dit, et facillime concoquitur, maxime valetudinem praestituram esse.

De qualitate cibi dicere sufficiat, (quoniam de variis rebus diaeteticis disserere longum foret), ea alimenta longe esse optima, quae plurimum nutriunt, facillime concoquuntur, et quam maxime ventriculum tranquillum reddunt. Quoniam vero acor in ventriculo plerumque abundat, vegetabilia sint bene cocta et solubilia, et quam minime ad fermentandum proclivia : et caro animalis haud parvam alimentorum partem constituat.

Pro potu optimum certe est aqua frigida, quae bene cibum diluit, et ventriculum satis stimulat. A liquoribus meracioribus maxime cavendum est ; hi enim simul quod omnes dolores in praesens suspendunt, ventriculum haud dubie debilitant, et post se languorem summum relinquunt.

Quoad frequentiam cibi sumendi, eadem potest esse ac in sanitate, cura tantum habita ne quantitas excedat. Post modicum pastum etiam in statu sano tres horae necessariae

erunt, quo bene concoctio absolvatur, et eodem tempore postea ad vires ventriculi renovandas opus erit. Eadem quoque intervalla in dyspepsia non nimia videbuntur; tribus circiter horis post pastum exercitatio colatur, et, ut CELSUS bene admonuit, "Exercitationis plerumque finis esse debet sudor." Si languor et ventriculi inquietudo interveniant, ad medicamenta, non ad cibos decurrendum est.

3. Symptomatum tantum gravissimorum, et quae maxime morbum exasperant, mentionem faciam necesse est; et quoque quibus modis iis occurrendum est, quam paucissimis dicam, quoniam symptomata ejus iisdem modis ac morbus ipse optime tollenda sunt.

Anorexia, seu appetitus defectus, semper fere dyspepsiae adest, et partim a viribus ventriculi imminutis, partim forsan a succo gastrico deficiente, pendere videtur: nunquam vero cessat a crapula et materie corrupta in ventriculo detentis acerbior fieri. Anorexia vero, quacunque causa orta, in morbi

principio emeticis amovenda erit, et quidem curatio morbi semper cum his incipienda est. Si valde laborat ventriculus, et vires aegri non vetant, emeticum forte, quale est ipecacuanha vel antimoniale quoddam, exhiberi debet, quod scilicet ventriculum excitet, sanguinem versus cutem expediat, bilis fluxum promoveat, et totum corpus fortiter concutiat. Hac ratione haud raro in limine morbus est repulsus. Si vero emeticum repetendum est, (quam rarissime vero usurpari debent), ad mitiora eundum est; qualia anthemidis nobilis, et raphani rusticani infusa. Nonnunquam pauculae guttae acidi sulphurici, vel cujusvis tincturae aromaticae, appetitum bene erigunt.

Inflatio et ructus ex fermentatione spontanea oriuntur, quam scilicet neque succus gastricus, neque ventriculi vires reprimere valent: aër igitur formatur, ventriculum inflat, et viam sibi aperit per gulam. Haec mala saepe exasperantur alvo adstricta. Non raro profuerunt medicamenta aromatica, quae alvum leniter solvunt; qualia anthemis nobilis, cum

aloë vel rheo. Acida quoque auxilio fuerunt, vi forsan antizymica; antispasmodica quoque, ut aether, et quae vocantur carminativa, eidem consilio bene responderunt.

Acor et ardor mala sunt non minima dyspepsiae, et iisdem causis ac priora tribuenda, scilicet, fermentationi acidae haud ventriculo subigendae. Alvus adstricta semper aliena est. Lac, olus et pinguia acidum augent. Ad hoc malum corrigendum et extinguendum aqua calcis, magnesia, pulvis e testis piscium, et sales alkalini optime respondent: haec vero rheo palmatae, vel cuivis aliae rei, quae leniter alvum ducat, conjungi debent. Magnesia cum rheo maximas laudes vindicavit. Ubi vero absorbentia et omnia antacida, ut vocantur, nil profuerunt, acida ipsa auxilio fuerunt optimo; decem nempe guttae acidi vitriolici vel nitrici saepe per diem in aqua sumptae, acorem penitus sustulerunt.

Nausea et vomitus frequentissime oriuntur ex ingestis modo vel genere peccantibus, et in

materiem corruptam conversis, quae ventriculi nervos jam irritabiles factos offendit. Ad nauseam et vomitum recentes praesentissimum remedium est emeticum, a quo ubique incipere oportebit. Huic accedat, si ventriculus non respuat, alvi solutio. Sulphas magnesiae in dosibus fractis, et cum et sine tinctura opii, multum profuit. Aromatica saepe sunt utilia. Succus limonum in ipso usu alkali admistus, et spumans epotus; linimenta ex oleis et opio abdomini infricata; emplastra cantharidum prope ventriculi regionem imposita, et injectiones opiatae, aegris frequenter subvenerunt.

Gastrodynia dolor est ventriculi spasmodicus, et irritabilitati ejus causis levissimis perturbatae debetur. Ad hunc igitur aromatica et antispasmodica optime valent, e. g. alkali volatile, aether, et opium: posterius autem quam parcissime adhibendum est. Recenter vero maximas sibi laudes sibi conscivit oxydum bismuthi, quod nonnunquam certe bene

meritum est; saepe autem nil valuit, et non semel vim venenatam exercere visum est.

Alvus adstricta haud dubie ab inertia intestinorum, quae ventriculi atoniam non possunt non participare, ortum trahit. Si bene inspiciantur faeces, colorem albidum vel subnigrum, vel striis flavis hic illic intertinctum prae se ferent, quae species certe indicat bilem nimis parce secerni. Haec secretio ergo mercurii praeparatis promoveatur, et in dosibus, quales non alvum irritare nec systema afficere possunt. Granum unum submuriatis hydrargyri, vel potius grana quinque pilularum hydrargyri singulis vel alternis noctibus exhibita, huic proposito bene inservient. Brevi hac methodo alvus fiet constans et faeces naturales, et appetitus cum sanitate generali multum restituetur. Aloë et rheum summas laudes pro laxantibus merito consecuta sunt; leniter enim alvum ducunt, et teneram servant: quocirca ad intestina quotidie deplenda jure usurpantur.

4. Ad consilium ordine ultimum, momen-

to vero primum, jam provenitur; quod scilicet, ut tonus et robur ventriculo restituatur, requirit. Medicamenta quae huic proposito respondent, vel inter stimulantia vel tonica ordinata sunt.

Inter stimulantia dyspepsiae accommodata, acida et aromatica locum sibi vindicant.

Acidum sulphuricum et nitricum, cum stimulante vim quoque tonicam habere existimantur, si tantum parca manu adhibeantur. Utiliter certe paucae guttae horum alterutrius sumuntur ad appetitum erigendum, saepissime vero simul cum amaris decoctis in usu sunt.

Eadem fere de aromaticis dici possunt: ventriculum vero haec potentius stimulant, appetitum conciliant, languorem et dolores dissipant; in usu tamen horum summa prudentia opus est; largius enim quam par est recepta, effectus contrarios edunt. Post pastum subinde quantitate parva sumi possunt, ad concoctionem juvandam et expediendam. Optime vero cum tonicis consociantur, et amara multo gratiora reddunt. Optima sunt

laurus cinnamomum, nux moschata, amomum zingiber, mentha piperitis, cortex aurantii, et lavandula spicata.

Tonica, quae omnibus aliis in dyspepsia praecellunt, sunt, vegetabilia amara, ferri praeparata, exercitatio et frigus.

Quomodo amara et quaedam tonica in genere ad corpus roborandum valent, non inter medicos convenit. Sed ut amara revera roborent, nil dubium est. Amara, quae aliis praestant, sunt, colomba, gentiana, quassia, anthemis nobilis, et, prae omnibus, cortex Peruvianus, nimirum qui cum tonica, vim astringentem habet conjunctam. Cum aromaticis associata, gratiora fiunt amara. Tribus circiter horis post pastum utilissime exhibentur.

E ferro praeparata summas laudes ad dyspepsiam semper adepta sunt. Murias et carbonas ferri prae aliis excellunt; et nimirum multum ad ventriculum roborandum pollent; nihilque ex usu eorum longo timendum est, quod tonicis amaris longe aliter accidit.

Exercitatio prae omnibus aliis roborantibus primum locum vindicat, et omni laude major est. Proficere videtur plurimum musculos roborando, sanguinem expediendo, appetitum conciliando, concoctionem compellendo, et liberam per cutem exhalationem cum aliis secretionibus et excretionibus promovendo, animo quoque eodem tempore firmiore et hilariore facto. Inter exercitationis genera ambulatio et equitatio maxime praestant, nimirum quae plurimos musculos simul exercent. In usu exercitationis sistendum est plerumque, ubi sudor prorumpere incipit, et priusquam fatigatio excipit.

Frigus haud dubie ut roborans bene meretur; minuit enim mobilitatem nimiam, vigorem vero auget; musculos roborat; tonum extremis vasis sustentat; appetitum conciliat, et hinc omnis exercitatio sub Jove pleno et aëre puro et frigido semper coli debet.

His accedi potest, quod balneum alias quoque vires exercet; pro roborante enim aliquo modo proficit, per stimulum quem cor-

pori universo dat, qui genus norvosum, et cor et vasa sanguinea ad validos motus incitat, et hoc modo sanguinem expedit, perspirationem promovet, et plurima alia beneficia producit.

FINIS.